

*ff. Håvström
aut. 1911*

3

DE
ORTU ET INDOLE
IDEALISMI FICHTII
DISSERTATIO

CUIUS

PARTEM PRIMAM

CONS. AMPL. FACULT. PHILOS. ABOËNSI,

PUBLICO EXAMINI MÔDESTE OFFERUNT

Mag. FREDRICUS BERGBOM,

Philos. Theor. & Pract. Adjunct. Ordin.

ET

RESPONDENS

JOHANNES JACOBUS NERVANDER,

*Stipend. Publ.
Ostrobothnienses.*

In Audit. Phil. die V Jun. MDCCCXXII.

h. a. m. s.

A B O Æ, Typis FRENCKELLIANIS.



Redintegratum immortalis KANTII ingenio & indefesso labore philosophiæ studium, Idealismo FICHTII ulterius excitatum, eum haudquaquam videtur habuisse exitum, in quem tanta horum virorum molimina spectabant, concursus scilicet ut efficeretur, sublatis omnibus circa ultima cognitionis humanæ principia dubiis, inter veritatis scrutatores unitas & consensus. Eandem enim, quam FICHTE, primo ingressus viam SCHELLING, ingentis spiritus vir, cui primas inter hodiernos sapientiæ doctores nostra ætas videtur deferre, de eadem haud parum deinde deflexit, &, absolutæ identitatis idea ductus, non tantum Idealismum a KANTIO inchoatum, a FICHTIO longius provecum, in altiorem adhuc enifus est attollere gradum, in quo ipse absolutus, cum absoluto Realismo vel Philosophia Naturæ coalesceret, sed plenam quoque & completam, haud sine multo sectatorum adversariorumque clamore, absoluti profesus est scientiam, absolutæ identitatis disciplina exponendam, adeo ut magnam de se apud bene multos fecerit expectationem, fore, ut ejus tandem opera præpotentique ingenio systema exfurgat philosophicum, aptum omnino, perfectum, expletumque omnibus suis numeris & partibus, quod cuncta, quæ hucusque floruerint, sublimitate, vi, cultu et compositione sit superaturum, sublimes omnes mentis functiones, scientiam & artem, religionem & moralitatem, cet. vinculo organico conjungens. Tantum vero absuit, ut placita ejus, nondum ab omni parte in unam systematis compagine redacta, omnibus arrisissent, altum licet spirantia & sublime,

A

blime, ut, exsurgentibus corrudentibusque continue systematibus, sectisque in sectas dilabantibus novas, numquam profecto in tanta, quanta nostra ætate, disensione philosophi fuerint & varietate. Alii enim, Kantianæ adhærentes disciplinæ, totos se ad ejus fingunt & accommodant tenorem, alii vero, ab hac plus minusve dissentientes, & inter se quoque diversi, suas in philosophando secuti sunt vias, quorum in numero sunt percelebris *fidei* patronus speculationisque adversarius JACOBI, *Realismi rationalis* constitutor BARDILI, commentatorque ejus, tot systematum undis jactatus REINHOLD, *Metacritices* parens HERDER, *Apodictices* conditor BOUTERWEK, *Archimetricæ* auctor THORILD, novi *Scepticismi* generis inventor SCHULZE, *Philosophiæ Mathematicæ* confector WAGENER; neque prætereundi ESCHENMAYER, SCHLEGEL, SCHLEYERMAYER, TROXLER, HERBERT, WEISS, KRUG, FRIES, SCHOPPENHAUER, BENEKE, & qui primo forsan loco nominandus fuisset, ingenii acumine & perspicacia insignis, HEGEL, cui tantum debet, recentiori ævo nimis neglecta, veri & falsi disceptatrix & judex, ut eam vocat CICERO, *Dialectica*; ut alios, quotquot sint, taceam: eo enim hac tempestate proventum est, ut tantum non omnes, qui in aliquo philosophorum haberi voluerint numero, proprio, ut dicitur, Marte, eruendæ veritatis latebras adire haud diffidant, novaque, mirifice sibi placentes, moliri nitantur systemata, multosque pudere fere videatur ab aliis didicisse. Deferbuit quidem jam, maximam saltem ad partem, pugnarum contentionumque vehementium æstus, quæ ex ipsa pacificatione, quam intenderat Criticismus, primo exarserunt, deinde vero, FICHTI, SCHELLINGI, ceterorumque inceptis multo impensius incanduerunt, sed videtur quoque ex altera parte, quod dolendum est, ipse philosophandi ardor, ob nimium tantarum discordiarum fastidium, sensim evanescere a). Quemcumque autem tantæ moli-

a) Non possumus, quin hic præclari Germanici Auctoris huc spectantia apponamus verba: "Eine kurze Zeit sah alle diese Ansichten ent-

molitiones perturbationesque habituræ sint exitum, id tamen candide, sobrieque philosophantibus semper erit solatii: veritatem,

A 2

sehen und sich wechselseitig bekämpfen, eine wunderbare Gährung hatte die thätigsten, lebendigsten Gemüther ergriffen, wer sich einig glaubte, entzweyete sich, ja wer die nämliche Sprache zu reden glaubte, ward von den Andern nicht mehr verstanden. Der Kampf hat nachgelassen, aber der Zwiespalt ist geblieben. Kaum giebt es mehr ein wissenschaftliches Gespräch in Deutschland. Ein jeder spricht aus sich selber heraus, Keiner achtet auf die Uebrigen, höchstens sprechen sie von einander, sich beurtheilend, ja wohl wechselseitig als nothwendiger Durchgangspunkt construirend, Keiner spricht mit den Andern. Fast alle Philosophen haben sich an die übrigen gehalten, um eigne Philosophien zu gebären, und keine Schule pflanzt sich fort, sondern eine jede gebiert, die Verwirrung bis auf den höchsten Gipfel steigend, fortdauernd neue in unübersehbare Menge. Herbart, Troxler, Bouterwek, Weiss, Krug, Fries und wie sie alle heißen mögen, treten mit neuen Lehren hervor, ja derselbe, wie Reinhold, wie Fries, ändert sich beständig, so daß keiner unter allen jenes gährende Chaos ohne Schwindel nur von Ferne zu überschauen, auch nicht die ungeheuerste Geisteskraft, die sich hingehend opfern wollte, diese Bestrebungen so vielfältig wunderlicher Art zu ergründen im Stande wäre. — — — — Es giebt eine unbefangene Bewunderung, einen schönen Glauben an die innere Wahrheit der Bestrebungen ausgezeichneter Geister, eine kindliche Begeisterung, die keinesweges das Urtheil ausschließt, dieses vielmehr erhöht, befestigt, und nur das reife gedeihen läßt. Dadurch gründet sich Das was man im edlen Sinne eine Schule nennen kann, die, wo eine wahre lebendige Literatur sich entwickeln soll, durchaus nothwendig ist. Jetzt schämt sich selbst die Jugend Schüler zu heißen, je mehr die unübersehbare Masse der Ansichten wächst, desto leichter glaubt ein jeder eine eigene sich bilden zu können und frühzeitig schnürt sich das höhere gläubige Leben in eine enge unreife Selbstständigkeit ein, die oberflächlich mit geliehenen Worten spielt und jeden höheren Genuss in leichten Maximen zu Gründe gehen läßt." *Die gegenwärtige Zeit und wie sie geworden etc.* von HEINRICH STEFFENS, 2r Theil, Berlin 1817, p. 685 sq.

tem, licet variis se manifestaverit modis, in fortunæ temeritate ac temporum vicissitudine haud esse constitutam, sed eandem semper mansuram: ideas, diversarum in philosophia formarum creatrices, his intereuntibus haud esse perituras, utpote supra temporis rationes positas, sed novas, vegetiores, pulchriores formas, continue progenituras: philosophiam vero, quotquot corruant systemata philosophica, ipsam haud emorturam, sed resurrecturam mox alacriorem, perfectiorem: eandem denique omnium scientiarum humanarum esse sortem, ut perpetuis sint mutationibus obnoxia, quarum continua progressionem veritas homini magis magisque pervia fit & perspicua, concentusque, ut sperandum est, omnium in conscientia oppositorum sensim efficietur congruens & concors.

Sed longius forsan proventi jam videbimur, quam proposita ratio postulet. Nos vero, quos progressuum & graduum consideratio, per quos in praesens fastigium evecta est philosophia, haud parum delectavit, cum in eo essemus, ut specimen in philosophicis ederemus, operæ pretium duximus, notabiliorum post KANTIUM in philosophia mutationum & vicissitudinum continuam seriem, conspectu generali, enucleatius pro virili proponere, earum praesertim criticam subjuncturi dijudicationem, quæ aliquid ad rationem philosophantem ex inferiori in altiorem stationem efferendam contulerint. Id vero cum fieri vetet circumscripta opellæ temporisque ratio, in eo subsistere optimum sumus rati, ut *Idealismi* FICHTII, cui apprime, post Criticam disciplinam natam, praesens philosophiæ status originem debet, paucis tantum de ortu illius ab hac praemisissis, censuram & æstimationem, qualemcunque potuerimus, modestam saltem, ut decet, & candidam, intra arctiores hujus opusculi limites acutiori L. B. iudicio subiceremus. Cum vero si non sumus, qui aliquid de summi viri, qui tot tantisque de philosophia meritis inclaruit, laudibus detrahere velimus, vel posse quidem nos existimemus, si quo-

quoque voluerimus, non veremur, ne invidiam magnæ rei impar conatus sit habiturus, si in tam magni Philosophi conamina, quantum nostra vel brevitatis, vel festinatio permiserit, dijudicando, virium exercendarum materiam potissimum quæramus, satis persuasi, inambitiosas vires, tenuiores etiam, in re nec facilis negotii, nec exigui momenti positas, miti doctiorum iudicio, etiam si ad optatos non provehantur exitus, haud indignas videri.

Is tandem progredienti, qui tot sæcula ante Philosophiam Criticam vigerat, Dogmatismo, volventibus annis contigit exitus, ut omni fere abjecta speculatione vere philosophica, totum se traderet reflexioni communi, circaque ima subsistens, in relativis solummodo investigandis magna ex parte occuparetur. In objectivitate igitur cognitionis explicanda, quæ ut primaria, ita difficillima in philosophia est atque habetur quaestio, adeo omnino hæc philosophandi ratio, de recto tramite flexens, declinavit scopum, ut omnem cognitionem humanam empiricæ esse originis agnosceret, nullam ei, nisi fortuitam, tribuens necessitatem, mentemque ut vacuum quoddam consideraret speculum, in quo imaginem quasi suam depingerent objecta, adeo ut hæc revera efficientia essent, illa vero patiens et his se quasi præbens, unde empirismus iste per singula culturæ recentioris elementa serpens, enatus, qui vel invitus Scepticismo portas recludere cogeretur. Cum vero exuri non possit ex animo humano absolutæ scientiæ desiderium, nec omnis, quæ in conscientia apparet, discordiæ penitus tollendæ studium, nisi deleta & extincta ipsa conscientia, suffocari, fieri non potuit, quin ipse Scepticismus, precaria Dualismi impugnando decreta, vacillantiaque ejus subvertendo fundamenta, ansam præberet philosophiæ, altioris utique indolis atque digni-

dignitatis. Cum igitur sagacissima HOMII Sceptis, licet omnes Dualismi non attigerit difficultates, causalitatis tamen legem tollendo, omnem quoque perceptionum connexionem dicumperet, certitudinemque cognitionis humanæ a cæca tantum derivaret consuetudine, divinum et sublime excitatum est KANTII ingenium ad perobscurum objectivitatis problema penitus perferendum & distinctius explicandum.

Magnus Criticæ Sectæ Conditor, perspecta plane Dogmatismi natura, aliam, nondum tritam, tentandam esse viam perspiciens, cognoscendi facultatem Crisi (ut loquuntur) subjicere instituit, ejusque accurata facienda analysi, connexionis perceptionum objectivæ in ipso subjecto principia in disquisitionem vocare; unde admirabilem illam vidimus, copiose & eleganter constitutæ disciplinæ compositionem enatam, qua fructuosiore, vix ullam aliam præteriti temporis memoria proferet, novumque sic instauratæ Philosophiæ curriculum patefactum. Cum enim acris ille veri investigator, ad cognitionem objectivam duo requiri pervidisset, multiplex alterum & varium, empirice datum, quod materiam cognitionis exhibet, & universale alterum ac necessarium, in alta mente repositum, quod unitatem huic tribuit, objectivitatisque omnis præbet principium, unde cognitio quævis realis vim veritatemque mutuatur apodicticam, mira sagacitate judicavit, cognoscendi facultatem tam formas in spatio & tempore, quam unitatem multiplicis syntheticam in conceptibus, ex semet producere ipsam, adeoque nec multiplex illud empiricum, quale in conscientia apprehenditur, nec objectivum ejus in mente nexum, extrinsecus temere esse quærendum. Qua via insistens, felici admodum successu & istas mentis formas, materiæ cognitionis oppositas, omnes invenit, & inventas quam planissime exposuit, adeo ut exactissime delineatum totius mentis, omniumque ejus latebrarum & recessuum exemplar ante oculos quasi posuisse merito dicatur. Elicita sic ex ipsius objectivitatis notione puri & empirici antithesi,

cum

cum neque multiplex illud empiricum, neque unitatem conceptus puri syntheticam, seorsim abstracteque considerata, veræ & absolutæ realitatis idæe respondere, distincte pronuntiasset disciplina KANTII, sublata est illa, quæ in Dogmatismo invaluit, subjecti & objecti, quasi absolute & per se existentium, oppositio. Attamen, cum supremum illud conscientiæ principium, quod *Unitatis originarie synthetica apperceptionis* b) nomine annuisse videtur KANTIO, in formalem tantum in systemate ejus abiret conjungendi actum, eaque evaderet puri & empirici relatio mutua, ut neque alterum ex altero esset derivandum, neque communem utraque agnoscerent fontem, redibat quodammodo, quæ deleta jam ex ipsius disciplinæ tenore videbatur, subjecti & objecti, per se existentium, oppositio absoluta. Quoniam enim multiplex & singulare, quod a posteriori est & empiricum, materiamque cognitionis præbet, ab unitate explicari non potuit originarie synthetica, quam ultimum illius, quod a priori est, principium, exhibebat conscientia pura, necesse fuit KANTIO, idem, internum licet, sensationibusque datum, ad principium extra conscientiam positum, ambigue quidem & problematicè quasi referre, & sic objectum quoddam, a Dogmatismo residuum, vel invitum admittere transcendente, quamvis sublatum prorsus ceteris Criticismi decretis, formaque omni & objectiva quavis determinatione denudatum, nec ulla aliqua cognitionis vi unquam attingendum,

b) "Hic autem KANTIO vitio id vertere neque volumus neque possumus, quod hunc primitivum actum neve descriperit dilucide satis, neu lectores repetere eum ipsos docuerit, & ne functiones (intellectus) quidem inde rite deduxerit, id enim non erat sui propositi. His nimirum præmissis, campum emetiri poterat totius humanæ cognoscendi facultatis, adeoque ne necessitatem quidem sentire potuit hujus deductionis. Satis habebat viam indicasse, neque refelli facile poterat." B. C. H. HÖJER, *Disertatio de Constructione Philosophica*, Upsaliæ MDCCXCIX, p. 12.

dum, inter esse & non esse mirum in modum fluctuans *c)*. Fieri igitur non potuit, quominus disciplina Critica Dualismi quadam contagione adhuc infecta, atque inter Realismum & Idealismum pendula, ambiguitate quadam laborare videretur & repugnantia, quam acrior, in dies progrediens, ipsa hac disciplina excitata, mox necessario animadversura esset, reflexio philosophans. Eo quidem, si nulla alia re, hujus disciplinæ rationem, antegressam Dogmatismi præstare, nemo facile negabit, quod, cum vacuum tantum & universalem quandam hæc subjecto concessisset percipiendi facultatem, quæ tam materiam, quam formam extrinsecus ab ipsis objectis datam apprehenderet, apodicticam sic omnem e cognitione humana tollens certitudinem, illa formam omnem in subjecti transferendo ambitum, objectivam experientiæ vindicaret realitatem, & e vanarum per se investigatione Philosophiam revocaret, repugnantias, quæ inde gignuntur, argumentis demonstrans haud refellendis. Fatendum vero simul ex altera parte est, eatenus dualismum Criticismo non esse summotam, quatenus in eadem adhuc remaneat quadam objectivi absoluti umbra, absoluta cum subjectivo identitate nullibi coalescentis; veræ autem omnium scientiæ realitas nihilominus in finitam phænomenorum regionem relegatur; quin ratio etiam ipsa subjectivitatis relative circulo tota teneatur conclusa, non nisi regulativorum principiorum dignitate, theoretico respectu, ideis concessa transcendentalibus: quodcumque vero artis subjectivitatis cancellis includi non potuerit, cognitioni prorsus abjudicetur humanæ & fidei ditioni subjiciatur, quæ & ipsa, ultimum licet absoluti refugium, non nisi via analogica quandam ad altiora aperiat aditum. In ipso limine igitur substitit KANTIUS Idealismi

c) Constatendum tamen est KANTIUM hoc quoque respectu altius disquisitionis suæ radices egisse, quam ex plurimorum sectatorum ejus scriptis, crasse nimis verba ejus interpretantium, dilucet.

mi vere transcendentalis, ad quem viam munierat, quique deinde insequeretur explicatissimus, nec ad absolutam, in qua subjecti & objecti oppositio evanescit, realis & idealis pervenit identitatem. Quod ne miraberis quidem, si modo æqualance pensitaveris, quot & quanta ei summovenda fuerint impedimenta, priusquam ad intima illa, quæ vestigia sua sequentibus patefecit, arduæ speculationis adyta, crassis antea occultata & circumfusa tenebris, penetrare potuerit, tantique moliminis condere disciplinam, quæ stupendam totius philosophiæ effecit commutationem, fertilissimarum idearum, ubique sparsa, sinu suo fovens semina, in opimas, posteris metendas exsurrectura segetes. Ab uno autem homine omnia exspectare, æqui non est æstimatoris, relinquat enim semper necesse est vel consummatissimus in sua arte philosophus infecti aliquid & inchoati, quod posteritati curæ erit perficere *d)*. Id saltem magnæ KANTIO numquam non erit laudi, quod indefesso ejus labore, sublimique ejus ingenio, eo usque provec̄ta fuerit philosophia, ut aliis immensi non esset operis ad summum eam perducere fastigium. Dogmatismum enim a fundamentis disci-jiciendo, qui in eclecticismum jam abierat plane empiricum, populari assensui accommodatum, quo vera philosophiæ indoles penitus fuerat corrupta, non tantum sanio-rem induxit philosophandi rationem, sed ipsam philosophiam totam instauravit & in eam evexit stationem, ex qua in altio-rem cito citius esset profectura.

B

Mox

d) Observandum quoque est KANTIUM ipsum passim affirmare se id sibi non proposuisse, ut completum systema conderet philosophicum, sed id tantum, ut cognoscendi facultatem omnem penitus perscrutaretur, quo explorate satis perceptum foret atque cognitum, quid de veri omnis principii realitateque cujusvis cognitionis humanæ sperandum, quid de indole ambituque totius philosophiæ judicandum, Materiæ copiam a se congestam ait, ex qua systema deinde omnibus numeris absolutum possit extrui.

Mox quoque excussa sopore Criticismi ope reflexio philosophans, summo ardore in excelso nitebatur ascendere gradum, et ita quidem, ut ne gravissima quidem ipsius KANTII retineretur auctoritate, qui nimirum viam ad ulteriora, quam ipse aperuerat, idem nimis caute molitus fuerat obsepire. Hinc argutissima MAIMONII Scepsis; hinc nobilitatum REINHOLDII periculum, *Theoria sua representandi facultatis vel Philosophia Elementari*, firma & inconcussa Criticismo substernendi fundamenta, peracutis AENESIDEMI (SCHULZII) dubiis, tam theoriam REINHOLDII, quam disciplinam Criticam attingentibus, mox everfa; hinc ingeniosum quoque BECKII conamen *Representationis Originariae* principio, omnem ex ratione Critica tollendi repugnantiam, qui quidem non explicavit quod erat explicandum, sed egregie tamen Idealismo explicatori prolusit; donec tandem residui adhuc in Criticismo objecti istius transcendentalis, absolute oppositi speciem præ se ferentis, ambiguitas, & quæ in notione ejus lateret repugnantia, quam & BECK perspexit, & AENESIDEMUS optimo succesu impugnaverat, FICHTIUM, acerrimi ingenii virum, excitavit, ansam in primis præbente AENESIDEMO, ad omnem objecti universitatem, ex absoluto subjecto, nulla externa vi impulso, deducendam, summotaque omni extra intelligentiam per se existente re, purum, nullis realismi reliquiis contaminatum, quantum fieri posset, construendum Idealismum. Quo vero succesu in tanta re laboraverit summus vir, ex sequentibus forsitan apparebit.

Mancam & inchoatam eatenus esse KANTII doctrinam existimans FICHTE, quatenus ex uno & absoluto quodam principio systematice deducta non fuerit, id sibi proposuit, ut systema conderet philosophicum, totum ab omni parte & conclusum, firmissimo superstructum fundamento, & Idealismum continens vere Transcendentalem, purum, immanentem, & forma castigatissimum, quod vero aliud quidquam non esset, quam

quam ipsa Kantiana philosophia, rite intellecta & exposita e). Cum enim precario omnino, nec sine repugnantia, servatam in Criticismo pervideret subreptitiam istam rem per se = X, omni objectivitate spoliata, & subjecto, quod cogitat, nullius cetero

B 2

e) Præcipua FICHTII opera, quibus philosophiam suam per varios evolutionis gradus exposuit, sequentia fere sunt: Versuch einer Kritik aller Offenbarung, Königsberg 1792, 1793. — Ueber den Begriff der Wissenschaftslehre, Weimar 1794. — Grundlage der gesammten Wissenschaftslehre, Weimar 1794. — Grundriss des Eigenthümlichen der Wissenschaftslehre, Jena 1795. — Versuch einer neuen Darstellung der Wissenschaftslehre & zweite Einleitung in die Wissenschaftslehre (in philosophisches Journal herausgeg. v. Niethammer u. Fichte 5. 6. B. obvenientes). — Grundlage d. gesammten Wissenschaftslehre, neue unveränderte Auflage, Tübingen 1802. — Die Wissenschaftslehre in ihrem allgemeinsten Umriss dargestellt, Berlin 1810. — Ueber den Grund unsers Glaubens an eine göttliche Weltregierung (Philos. Journal, 8 B.) — Appellation an das Publicum ueber d. ihm beygemessenen atheïstischen Aeusserungen, Jena und Leipzig 1799. — Der Herausgeber des Philosophischen Journals gerichtliche Verantwortungsschriften gegen die Anklage des Atheismus, Jena 1799. — Vorlesungen über die Bestimmung des Gelehrten, Jena 1794. — System der Sittenlehre, Jena und Leipzig 1795. — Beyträge zur Berichtigung der Urtheile des Publicum über die Französische Revolution. — Grundlage des Naturrechts, Jena 1796, 1797, 2 Th. — Ueber die Bestimmung des Menschen, Berlin 1800. — Antwortschreiben an K. L. Reinhold auf dessen Beyträge z. Leichtern Uebersicht d. Zustandes der Philosophie bey dem Anfange d. 19 Jahrh. Tübingen 1801. — Sonnenklarer Bericht an das grössere Publicum über das eigentliche Wesen der neuesten Philosophie, Berlin 1801. — Vorlesungen über das Wesen der Gelehrten, Berlin 1806. — Die Grundzüge des gegenwärtigen Zeitalters, Berlin 1806. — Anweisung zum seligen Leben, Berlin 1806. — Exstant præterea quædam minoris momenti scripta hujus Auctoris (in Philos. Journal herausg. v. Niethammer & Phil. Journal h. v. Niethammer u. Fichte), operaque postuma: Die Thatsachen des Bewusstseyns, Stuttgart und Tübingen 1817, & die Staatslehre, oder über die Verhältniß des Urstaates zum Vernunftreiche, Berlin 1820.

teroquin determinationis capaci, absolute oppositam; ac Dualis-
mum sic quadantenus instauratum, in altissima conscientiae ra-
dice absolutum quærendum esse statuit, subjectumque purum
ut unicum ponendum reale, ex quo omnia, quæ in conscien-
tia empirica deprehenduntur, phænomena, tam ad materiam,
quam formam, sublato quovis extra Intelligentiæ ambitum
ente, immanenter & genetice essent derivanda. Purum quidem
in conscientia omne, quod multiplicis empirici unitatem exhibet
objectivam, ad intimam Intelligentiæ essentiam pertinere &
in ea fundatam esse, demonstraverat jam KANT, sed genesis
experientiæ conditionum ex absoluto quodam principio, quod
materiæ etiam cognitionis fundamentum præberet, non expo-
suerat. Quam enim deductionem vocat e. gr. formarum sen-
sualitatis & categoriarum, non est ea genetice possibilitatis ea-
rum explicatio; haud enim declarat quomodo ex ipsa Intelligen-
tiæ natura necessario oriantur hæ formæ, nec quamobrem his
potissimum, non vero aliis, in representando cognoscendi fa-
cultas immutabili necessitate adstricta sit legibus. Crisis puræ
Rationis analytica tantum modo est harum formarum exposi-
tio, quæ eas ut datas jam in conscientia & paratas perscruta-
tur, omisa ulteriori originis earum investigatione. Cum ve-
ro Intelligentiam sine repugnantia substratum quoddam habe-
ri non posse substantiale, cui conscientia omnesque ejus de-
terminationes inhæreant, intelligeret FICHTE, sed purum eam
tantum modo esse Agere perspiceret, quod sui conscium fieri
non possit, nisi se ipsum limitando certas sui ipsius determina-
tiones producat, tam universales istas & necessarias conscien-
tiæ determinationes, quæ leges ejus constituunt & formas,
quam ipsius individualitatis necessitatem, quæ materiam cogni-
tionis exhibet, ex puri hujus Agere notione, utpote omnis veri-
tatis scaturigine, deducere studuit. Unitatem quoque origi-
narie syntheticam apperceptionis, quæ in Criticismo Philoso-
phiæ Theoreticæ fundamento est, & Philosophiæ Practicæ prin-
cipium, Autonomiam voluntatis, seorsim consideraverat KANT,
com

communem utriusque haud investigans fontem. Cum vero
conscientia sui pura, qua se ipsam intuetur Intelligentia, &
voluntatis autonomia, qua se ipsam in agendo libere deter-
minat eadem, actus sunt primitivi nunquam non conjuncti,
quorum alter sine altero locum habere non potest, ex abso-
luta eadem activitate, quæ Ego puri exhibet notionem, & tam
cognoscendi facultatis, quam voluntatis phænomenis fundamen-
to est, utramque esse derivandam voluit FICHTE, unum & i-
dem omnis, tam Theoreticæ, quam Practicæ Philosophiæ, a-
gnosces principium. Purum scilicet istud Ego, ad absoluti
cujusvis cognitionis principii dignitatem evectum, originarius
est & primitivus actus, in quo cognitio cum cognito ita
congruit, ut, cum non nisi per sui ipsius intuitionem existat
Ego purum, sui ipsius quoque cognitionem habeat necessario
immediatam. Quod actu hoc primitivo oritur Ego, originarie
& per se subjectum, nec objectum nisi factum sibi & per se,
unicum est in conscientia punctum, quod tam essendi quam
cognoscendi principium constituit ultimum, ab anteriori nullo
pendens, sed libera intuitionem absolute producendum, potest-
que, ex FICHTE mente, quum formam principii philosophici
induat, thesi absoluta: Ego sum vel Ego=Ego, formæ me-
re identicæ: A=A substituta, enuntiari. Probe autem a sin-
gulari quovis & in conscientia empirica obvenienti subjectivo
Ego, distinguendum vult FICHTE absolutum Ego, quod in
unoquoque individuo Ego principii instar latet, causaque ejus
est efficiens, absoluto illud producens actu, synthetice con-
stituens producentis & producti originariam. Intelligentia per
se considerata est originarius extra temporis rationes positus
actus, qui ipse in se reflexus puram sui conscientiam habet &
absoluta libertate se determinat; est subjectivi omnis & obje-
ctivi identitas vel subjecto-objectum absolutum. Empirica o-
mnis in tempore evoluta conscientia, absoluto hoc oritur actu,
nec est quævis ejus determinatio quidquam aliud, quam spe-
cialis hujus in se ipsum reflexi actus limitatio; qui igitur actus
in

in quovis conscientiae empiricae momento obvenit; quodcumque enim sibi representet subjectum, a sui conscientia pura: Ego sum, divellere se haud potest. In isto igitur, ex quo egreditur Idealismus Transcendentalis, principio, quod necessariam reflexioni idealitatis & realitatis oppositionem tollit, utramque necessaria synthesi conjungens, ita productivum cum producto coalescit, ut mundus sit intelligentia in se conclusus, qui extrinsecus nulla ex parte religatus, omnem rerum naturam, quam ex se ipsa, infinita sua vi, explicat & evolvit, complexu suo contineat. Originarium hunc actum, quo semetipsum absolute ponit Ego & conscientiae suae universalitatem procreat, libere repetendo, se ipsum, ut subjecto-objectum intuetur Philosophus, & ab hac sui conscientia pura, ut ultimo cognitionis principio, absoluta thesi: Ego=Ego enuntiato, continua consecutionum serie progrediens, omnium conscientiae determinationum universalium & necessariarum extruere potest systema, mundum complectens idealem, reali, quam absoluta sui positione procreat Intelligentia, congruentem. Secundarium autem hunc, libere a Philosopho in tempore productum actum, originario ab omni parte convenire, ex absoluta necessitate apparet & universalitate, quae eundem stipatur. Philosophus enim, & Ego notionem cogitans, intuetur simul ipsum hunc cogitandi actum, qua intuitione eadem certitudine immediate perspicit, hanc notionem aliter oriri non posse, quam ita agendo, qua Mathematicus persuasum sibi habet, duas lineas rectas spatium circumscribere non posse. Intuetur Agere suum non ut individuale quid, sed ut universale & necessarium, quod in unaquaque Intelligentia, quae ab objectis abstrahendo ipsa se intueri valeat, locum necesse est habeat. Hic a philosopho producendus actus, intuitus merito nominandus est, purus & intellectualis; intuitus, quia immediate sui conscius est, intuitus vero nomine quaevis insignitur representatio, quae immediate se ad objectum suum refert; purus, quoniam omni sensualitatis affectione est liber; intellectualis autem, quatenus

mere

mere formalis non est, sed objectum suum tam ad formam quam materiam producit, utriusque identitatem involvens, adeoque ab intuitu puro sensuali, quo objectorum in spatio & tempore determinantur formae, distinguendus. Non est igitur Idealismus Transcendentalis, qui ex pura sui conscientia empiricae conscientiae momentorum seriem evolvit, mere Logica conceptuum nexibus superstructa compages, sed necessaria consecutione procedens & prioribus sequentia connectens philosophica conceptuum constructio, qua omnes, qui in syllogismorum catena copulantur conceptus, constructionis mathematicae more, in pura simul sistuntur intuitionem, demonstratioque efficitur vere mathematica.

Licet vero constructionis philosophicae ideam FICHTIUM habuisse, ex scriptis ejus appareat & ex principio atque tenore philosophiae ejus satis diluceat, longe tamen abest, ut tam distinctam & completam eam sibi concepisset, ut in systemate suo extruendo ubique retinere eandem & effectui dare valuisset. In id enim apprime intentus, ut in systematis sui expositione, e principio egrediens firmo & indubio, acri & rigida syllogismorum consecutione tutus procederet, e vera constructionis philosophicae via & methodo haud raro declinavit, in mere logicam dilapsus conceptuum in reflexione copulationem, quo factum est, ut non tam constructionis ex actu originario, continua intuitionem intellectuali, in absolutam oppositorum identitatem progredientis, quam infinitae conclusionum derivationis, in thesimum & antithesimum synthefin, novas antitheses earumque synthefes progenituram, abientis, speciem praese ferat haec expositio.

Ex pura scilicet sui conscientia, thesi absoluta: Ego=Ego enuntiato, ut ultimo cognitionis principio, argumentationum seriem in sua Scientiae Theoria (*Wissenschaftslehre*), quae systematica est Idealismi Transcendentalis expositio, inceptit FICHTE. Hac thesi fundamentali pronuntiandum voluit, ut supra jam allatum est, actum originarium, quo se ponit vel constituit Ego purum. Quamquam vero conscientia sui pura prima est

est omnis conscientiae explicandae conditio, in unoquoque ta-
 men singularium momentorum, quibus conscientia evolvitur
 empirica, distinguit necessario subjectum Ego suum, pura sui
 conscientia datum, ab alio quodam, quod Ego non est, sed
 ei oppositum, ab objecto nimirum, subjecto oppositi speciem
 prae se ferenti; unde concludit FICHTE, actum positionis ori-
 ginarium, quo se ponit vel constituit Ego purum, necessario
 & immediate conjunctum esse alii, quo se distinguit Ego ab
 objecto, oppositionis scilicet vel negationis actui, quo Ego pu-
 rum opponit sibi Non-Ego. Hinc secunda, quae Idealismo
 Transcendentali fundamento est thesis: Ego purum sibi neces-
 sario & absolute opponit Non-Ego; quae quidem si materiam
 ejus respicias, a prima thesi: Ego = Ego (quae tam ad materiam,
 quam formam, absolutus est) pendet, quod vero formam ejus
 attinet, aequae absoluta habenda est atque haec. Ipse oppositionis
 enim actus, ab alio quodam derivari non potest, sed est ad
 formam absolutus; ipsum autem oppositum, quod hoc actu Ego
 puro opponitur, nihil aliud esse posse quam Non-Ego ex
 prima thesi demonstrandum est. Haec vero, Ego & Non-
 Ego, opposita sunt & alterum alterum tollit, quae igitur in
 una & eadem conscientia conjungi haud possunt, nisi ponantur
 ut se invicem limitantia. Hinc tertium Idealismi Tran-
 scendentalis principium, thesi fundamentali etiam enuntiandum
 tertia: Ego, quod se ipsum ponendo sibi opponit Non-Ego,
 ponit simul in ipso Ego necessario Ego & Non-Ego ut se
 invicem limitantia. Cum vero aliquid limitare nihil aliud
 sit, quam realitatem ejus, non totam quidem, sed ad par-
 tem, negatione tollere, efficitur, in limitationis conceptu, praeter
 realitatis & negationis, divisibilitatis quoque notionem la-
 tere. Potest igitur tertia thesis sic etiam exprimi: Ego ponit in
 Ego, divisibile quoddam Non-Ego, Ego divisibili oppositum.
 Quae quidem thesis materiae respectu absoluta est, sed for-
 mam quod attinet, a duabus prioribus pendet; ipsum enim a-
 gendi problema, quod hac thesi exprimitur, a prioribus neces-
 sario oritur thesibus, quae tamen solutionem ejus non praebent.

Hae